

hodie ab hac censura immunes esse, eo quod lege civili non sinuntur auxilium praebere contra violatores clausurae.

## XII.

Missionarios operam dantes mercaturae in Indiis Orientalibus et in America, ac Superiores eorum tam mediatos quam immediatos, qui eosdem, saltem per amotionem illorum a locis commissi per eos delicti, non puniverint.

**612.** Hanc censuram tulerant Urbanus VIII (Const. *Ex debito* 22 Febr. 1633; Coll. P. F. n. 333) et Clemens IX. (Const. *Sollicitudo*, 17 Jun. 1669; Coll. P. F. n. 338) Quam cum praeteriisset Const. *Apostolicae Sedis*, plerique abolitam censebant; sed Pius IX, postulante S. Inqu. 4 Dec. 1872 (Coll. P. F. n. 351), praedictas Constitutiones suum robur servasse declaravit.

*Missionarios*, i. e. quoslibet viros ecclesiasticos, sive saeculares, sive regulares, aut ad illas regiones missi fuerint aut in illis quomodolibet morentur, etiamsi forte non sint Europaei. (S. Inqu. 17 Jan. 1883; Coll. P. F. n. 352) Non comprehenduntur tamen clerici indigenae: nam *morari* in aliquo loco proprie non dicuntur nisi qui ibidem sint alienigenae. (Penn. II. p. 297)

*Operam dantes mercaturae.* Mercatura intellegitur tantum lucrativa seu proprie dicta. (S. C. de P. F. 8 Apr. 1862; Coll. P. F. n. 350) Vid. mercatura proprie est ea negotiatio qua merces emuntur aliove oneroso titulo comparantur ut non mutatae, nec in aliam formam redactae, carius vendantur. (Schmalzgr. in Decr. l. 3. t. 50. n. 9) Huic operam dant, juxta cit. Constit. Urbani VIII, quicumque mercaturam seu negotiationem, quocumque modo, sive per se, sive per alios, sive proprio, sive communitatis nomine, directe vel indirecte exercent. Neque requiruntur actus frequentati, cum Clemens IX diserte addat: *etiam semel*. Oportet tamen ut negotiatio fiat in quantitate sat notabili ad grave peccatum constituendum. Insuper inquietandi non sunt Missionarii qui per accidens aliquod lucrum referunt e mercibus quas, necessitate coacti, loco pecuniae secum tulerint. Nam de tali casu interrogata S. C. de P. F. (Coll. P. F. n. 343) 13 Aug. 1834 respondit: " Posse Missionarios subsidiorum sibi debitorum securitati et Missionis ipsius bono consulere accipiendo per modum permutationis merces pecuniis sibi debitis emptas, easdemque ad se delatos vendere, et suum facere pretium ex venditione earum retrahendum. "

*In Indiis Orientalibus et in America.* Non viget haec censura in iis locis quae praedictis Const. non designantur, ex. gr. in Africa. Designantur autem Indiae Orientales, America tam Australis quam Septen-

trionalis, Japonia et Sina. Hanc ultimam regionem comprehendi, declaravit S. Inqu. cit. resp. 17 Jan. 1883.

Quamvis ista excommunicatio nemini sit reservata, non licet tamen ab eadem absolvere eos qui negotiationi operam dederint, praeterquam in mortis articulo constitutos, nisi prius luera e negotiatione percepta locorum Ordinariis vel Apostolicis Vicariis restituerint, ut sancivit Clemens IX, (Const. cit.) iterumque declaravit S. Inqu. resp. mox citato. Liceret tamen absolvere si restituere vellent quidem, sed non possent, cum sic cesset omnis contumacia.

## CAPUT III.

## DE SUSPENSIONE.

## § 1. QUID ET QUOTUPLEX SIT SUSPENSIO.

**613. DEFINITIO.** Suspendio est censura qua clericus usu potestatis quae ipsi ratione ordinis, officii vel beneficii competit, privatur.

Hinc patet poenam hanc propriam esse clericorum; immo, quia ea sacra ministeria quae cohaerent minoribus ordinibus, hodie a laicis quoque obiri solent, suspendio in ordines minores non cadit. Hinc suspendio, secundum hodiernam Ecclesiae praxim, ab iis solum incurritur qui sunt in Sacris. (D'Annib. I. n. 379; Hilarius a Sexten, de censur. eccl. p. 76)

Triplici ratione ferri potest suspendio:

1<sup>o</sup> Ut censura proprie dicta: qui sensus est maxime proprius suspensionis. Tunc autem necesse est ut lata sit ob delictum et contumaciam, et quidem simpliciter, non in perpetuum, nec in diem certum, nec ad arbitrium eam irrogantis. (n. 563)

2<sup>o</sup> Ut mera poena ad vindictam delicti, etiam plene praeteriti.

3<sup>o</sup> Ut mera inhibitio exercendi actus ordinis vel jurisdictionis, absque delicto imposita, puta ob defectum scientiae muneri necessariae, ad avertenda scandala, etc. (Aichner, Comp. Jur. Eccl. § 219)

Suspendio non est confundenda cum depositione vel degradatione quae gravissimae sunt inter poenas ecclesiasticas mere vindicativas. Nempe per *depositionem* clericus non tantum privatur usu rei, sicut fit in suspensione perpetua, sed ipsa re (officio, beneficio, etc.) ideoque ut in eam restituatur novo titulo indiget. Per *degradationem* vero clericus in per-

petuum privatur ecclesiastico ministerio, officio et beneficio (qua ex parte convenit cum depositione), et insuper, ipsis fori et canonis privilegiis exutus, brachio saeculari puniendus traditur. Degradationis ritum describit Pontificale Romanum. Sed jam ab usu recessit hujusmodi poena: nec mirum, cum in plerisque regionibus clerici a civilibus iudicibus judicari et puniri soleant, nullo respectu habito ad sacrum eorum characterem.

#### 614. DIVISIO.

1<sup>o</sup> Suspendio potest esse generalis vel specialis. *Generalis* est qua clericus privatur usu cujuslibet potestatis ecclesiasticae sibi competentis. *Specialis* triplex est: *ab ordine, ab officio, a beneficio*. Harum prima privat usu ordinis sive conferendi, sive exercendi; secunda prohibet exercitium sive ordinis sive jurisdictionis, tum interni tum externi fori; tertia privat redditibus et administratione beneficii.

Insuper istae suspensiones speciales restringi possunt ad partem eorum jurium quae ab ordine, beneficio vel officio oriuntur. Sic potest clericus suspendi tantum a celebrando Sacro, ab audiendis confessionibus, a beneficio conferendo.

Quando suspendio simpliciter et sine ulla restrictione infligitur, intelligenda est generalis. Si qua restrictio additur, puta ab ordine, beneficio, etc., non est extendenda ultra id quod strictè verbis significatur. Quid sit suspendio *a divinis*, non ita constat inter AA. Multi eandem putant ac suspensionem ab officio. (Hilarius, op. cit. p. 71) Probabilius putamus cum D'Annib. (I. n. 380) eandem esse ac suspensionem ab ordine: divina enim proprie sunt ea quae per sacros ordines obeuntur. Si tamen ageretur de censura dioecesis, standum esset interpretationi quam huic locutioni forte tribuerit usus dioecesis vel episcopi sententia.

Praelatis propria est suspendio *ab ordine pontificali, ab usu pontificalium, a pontificalibus*. Prima prohibet ea peragere quae ex ordine pontificali constant, ex. gr. ordinare, confirmare, benedictiones calicum aliasve in quibus sacrum oleum adhibetur, peragere. Secunda prohibet tantum apparatus pontificalem seu usum mitrae, baculi pastoralis et pallii: hinc talis suspendio etiam indirectè vetat ne fiant ea quae sine hoc apparatu peragere non licet ex. gr. ecclesiam consecrare, sed non impedit functiones quae sine hoc apparatu fieri possunt, puta confirmare sine baculo et mitra. Tertia probabilis eundem sensum habet ac secunda, siquidem pontificalia nihil aliud sunt quam insignia pontificalia. (D'Annib. I. n. 381)

2<sup>o</sup> Suspendio ferri potest tum *in personas singulas*, tum *in integram communitatem*. In hoc posteriore casu, nisi simul in aliquas determina-

tas personas suspendio feratur, prohibentur tantum illae functiones ecclesiasticae, quae a communitate, qua corpus est morale, exercentur. Sic capitulum suspendum vetatur electiones facere, sollemniter divina celebrare, etc. Immo, quamvis simul feratur suspendio in singulas personas quibus constet communitas, illa non afficit innocentes, sed tantum delinquentes; nemo enim potest suspendi pro culpa aliena. (S. Alph. n. 317)

3<sup>o</sup> Suspendio potest esse *a jure vel ab homine, ferendae vel latae sententiae*, prout universe de censuris dictum est. (n. 564)

4<sup>o</sup> Inter suspensiones quae ab homine feruntur, specialem locum sibi vindicat ea quam Theol. vocant *ex informata conscientia*: quia episcopus eam fert ex causis nullo iudicio probatis, sed in sua conscientia perpensis. Potestatem talis suspensionis ferendae Conc. Trid. (Sess. 24. de ref. c. 1) episcopis contulit, ut crimina occulta clericorum coercere possint ea celeritate quam non raro exposcunt sacri ministerii dignitas et fidelium utilitas. Hujus potestatis naturam et modum quo, secundum praesentem S. Sedis voluntatem, exercenda sit, perspicue exponit S. C. de Prop. Fide, Instr. 20 Oct. 1884 (Coll. P. F. n. 1009), ex qua praesertim notanda sunt sequentia:

a) Ad hanc suspensionem imponendam nec formae judiciales, nec canonicae admonitiones requiruntur. (Instr. cit. n. 2) Attamen si per modum verae censurae fertur, ex ipsa natura rei requiritur aliqua talis poenae comminatio. (n. 569)

b) Ad quasnam partes exercitii ordinis vel officii et ad quantum tempus extendatur haec poena, ex ipsius tenore dijudicandum est. Jubentur autem Ordinarii abstinere ab ipsa infligenda in perpetuum. Quodsi, ob graviores causas, Ordinarius censuerit eam imponere non ad tempus determinatum, sed ad suum beneplacitum, tunc ipsa habetur pro temporanea, ideoque cessabit cum jurisdictione Ordinarii suspensionem infligentis. (nn. 4 et 5)

c) Causam huic suspensioni praebet crimen clerici *occultum*, quod scilicet neque in iudicium, neque in rumores vulgi deductum sit, neque insuper ejusmodi numero et qualitate personarum cognitum sit, unde censi debet notorium. Tenet tamen suspendio si ex pluribus delictis aliquod fuerit notum in vulgus, aut si crimen, quod ante suspensionem fuerat occultum, deinceps post ipsam fuerit ab aliis divulgatum. (nn. 6, 7 et 8)

d) A decreto suspensionis ex informata conscientia non datur appellatio, sed semper patet recursus extrajudicialis ad S. Sedem, suspensione interim in vigore permanente. (nn. 11 et 12)

Potest quoque episcopus ob easdem causas eademque forma prohibere clerico ascensum ad sacros ordines (Trid. l. c.)